



## DISPUTATIO

DE

# HOMILETICIS VIRTUTIBUS.

## ANTEPAGMENTVM.

**N**E cum Diogene extra mundi confortium vivere & instar muris in dolio latitare, vel cum Ganymede ad Jovis coenam rapi, aut cum Ænea ad Elysios campos deduci cogamur, sed ut cum hominibus decorè conversari & cum iis sociari possimus, opus habemus virtutibus *ὁμιλητικαῖς*, sine quibus nemo honestam, nemo jucundam, nemo felicem vel humanam vivet vitam, sine quibus mores nostri sunt inconcinni, non politi; sine quibus studia nostra sunt ludibria, dicta nostra sunt mendacia. Hæ enim sunt; ex quibus animus honestus in homine colligi, bonus à malo, verax à mendace, honestus ab inhonesto secerni potest. Harum ergò virtutum amore ducti paucas pagellas iis consecraturi sumus. DEUS individuè unus, individuus nobis parastata esto! Nunc sine ambage prodeat.

§. I. In omni conversatione familiari ad duo potissimum respiciendum est, nempè vel ad jucunditatem & oblectationem, vel ad veritatem & candorem; & cum

A

jucun-